CONVICTIO
NOVÆ HÆRESIS
PRÆ-ADAMITARVM,

EIVSDEMQVE ORIGO A QVODAM LITERATO
CALVINISTA,

EX DVPLICI OVO SEV PRINCIPIO SVÆ
PRÆTENSÆ REFORMATIONIS,

Ad ſalutarem eorum Correctionem.

Per F. M.H. Franciſcanum, Conuentus Namurcenſis.



Ex Facultate Ordinaria Superiorum.

NAMVRCI.
Typis PETRI GERARDI, Typographi iurati.
1656.

Digitized by Google

FACVLTAS ORDINARIA.

ADamum non tantùm Iudæorum, ſed omnium hominum primum fuiſſe, diſertè atteſtantur ſacræ vtriuſq; Teſtamenti paginæ, apertè tradunt, ſeu potiùs pro fundamento decretorum ſuorum Concilia Oecumenica ſupponunt, docent S.ti Patres, pronuntiat vniuerſa Theologorum Schola, Hiſtoricorum ac Chronologorum conſtans hactenus eſt ſententia.

Clandeſtinis nihilominùs typis nuper è Bataula prodijt liber de Præ-Adamitis, Authore Anonymo, in quo innumeros ante Adamum homines, aliosq; errores non minùs temerè quam inſulsè effingit, Iudæis & Iudaiſmo plus æquo ſeſe affectum oſtendit, quaſi parum ei foret ſi cum ſolis ſuis Caluiniſtis deſiperet, niſi cum Iudæis & Atheis ſocietatem haberet, & Hæreſiarchis nomen ſuum adſcriberet. Quare dum Authoris cauſa agitur, breuis hîc Tractatus, in quâ eius deliria doctè & neruosè refutantur, lucem meritò aſpiciet. Ita cenſeo, Namurci die 4. Martij 1656.

R. DV LAVRY S. Theol. & J. V. Lic. Præp. Vic. Generalis, & Offic. Diœceſis Namurc.

APPROBATIONES THEOLOGORVM.

MIrabile eſt, quàm vafrum ſit & ad nouitates procliue, humanum ingenium, & in quàs tandem ineptias relictâ ſemel veritatis columna, incidat! Et ecce quàm fabuloſa & fidei contraria recenter effutiuit anonymus quidam Præ-Adamitarum Author, Scripturas Sacras perperam interpretans: Quem indefeſſus in ſcribendo, & pro Eccleſia Dei laborando R. Pater MATTHIAS HAVZEVR, &c. breuiter & eruditè hoc ſuo Opuſculo refellit: quod proinde vti fidei orthodoxæ conſonans, & oportunè fabellæ iſti erroribus ſcatenti obuiàs, lucem omninò mereri cenſeo. Leodij 29. Febr. 1656.

HENRICVS DV MONT, S. Theol. Licent. Eccleſiæ Cathedralis Leodien. Canonicus Theologalis, Seminarij ibidem Præſidens, & Theol. Profeſſor.

PEtit à me Reuerentia Veſtra, quid cenſeam de Authore Anonymo Libri nuper impreſſi, ſub titulo, *De Præ-Adamitis*. Reſpondeo videri mihi ridiculum ſomniatorem, nugarum & næniarũ Profeſſorem, Doctorem, & Ductorem ad Atheiſmum, impium & infamem Cabaliſtam: cuius doctrina tota reſoluitur in damnabilem Blaſphemiam, qua Dei Eccleſia, Dei verbum, Deus ipſe, prima & infallibilis veritas, erroris, & mendacij arguitur. Hinc iure meritiſſimo graui cenſura R.mi Epiſcopi Namurcenſis eſt proſcripta & ſcripto veſtro contra Fabulam Hereticam Præ-Adamitarum Apologetico, methodicè confutata, & digna quam omnes Chriſtiano nomine inſigniti tanquam peſtiferam ac veneno lethali infectam fugiant, & flammis deuoueant. Ideo ſcriptum illud veſtrum quo faſtuoſus ille Præ-Adamitarum figulus conteritur, cenſeo luce publica dignum. Hac 29. Februarij 1656.

LEONARDVS STOKIS, S. Theol. Licent. & quondam Profeſſor, S. Petri Decanus, in Synodo examinator.

Digitized by Google

CONTRA FABVLAM HÆRETICAM PRÆ-ADAMITARVM.

QVod Chriſtus Ioan. 6. *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam* : hoc & eius Apoſtolus, 2. Cor.3. *Litera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Non ſolùm de Litera Legis obligantis, & neceſſario ſpiritu gratiæ adiuuantis: ſed etiam de Litera totius Sacræ Scripturæ, & neceſſario eius ſpiritu, ſeu doctrina veritatis; interiore, per gratiam; exteriore, per Eccleſiam. Ex *S. Auguſt. toto libro de Spiritu & Litera.* Nec ad excluſionem literæ à Spiritu, nec ſenſus literalis à ſpirituali; ſed ad neceſſariam vtriuſq; vnionem, huius tamen eminentiam.

Vt enim corpus exanime facilè fœtet & putreſcit in vermes: ſic & ipſæ Sacræ Literæ, ſine ſpiritu gratiæ & veritatis, in vitia, errores, & hæreſes. Non ex vllo Literæ defectu, nec occaſione per eam data; ſed per oppoſitā concupiſcentiā accepta. Rom 7. *Occaſione accepta per mandatum*, &c. Vtq; anima humana ſuo corpori vnita, totum & ſingulas eius partes tota animat: non tamen præciſas, ſed vnitas; nec vllam extenſiuè vel inhæſiuè, nec omnes æqualiter; ſed provt capaces ſunt vitæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & rationalis, quamuis etiam animantis, ſuper omnia tamē ſua animata eminētis. Sic & ſpiritus fidei ac veritatis totam Literam & ſingulas partes Sacræ Scripturæ afficit: non diſſolutas, ſed cohærentes; nec æqualiter, quaſi extenſiuè inhærendo, ſed potiùs quaſi adhærendo & eminēdo, inſtar lucis ſubiecto ſuo adhærentis, ſed eminentis, & deſuper volitantis.

Hinc, vt qui in candelam lucentem nimiùm ſufflant, lucem eius exſufflant: qui eam nimis emungunt, lucem eius in elichnio fœtente extinguunt; & qui nihil vnquam emungunt lucem eius offuſcant. Sic & qui ſpiritu ſeu ſenſu proprio Sacras Literas inflant, verum eius ſpiritum efflant: qui ſenſum Sacræ Scripturæ ab eius Litera nimis auellunt, vel ad eius Literam nimis reſtringunt, lucem veritatis eius ſuffocāt.

Quales ſunt diuerſi, & aduerſi, imò & ijdē hæretici: qui nunc ſpiritu priuato in ſenſus quaſi ſpirituales, ſed nimis à Sacris Literis alienos euaneſcunt: nunc eodē ſpiritu priuato, ipſis apicibus, quaſi conſecratis, ijſq; mutilatis Cabaliſticè inhærent.

Tales ſunt Literiones Eraſmiani, ac ſimiles: qui quò literatiores, ſeu verborum quàm rerum diuinarum doctiores: eò liberiùs à vero ſpiritu Sacræ Scripturæ & Eccleſiæ, ad propriū declinant. Quia cùm 2. *Petri* 3. in Sacra Scriptura *ſint quædam difficilia intellectu*, non tam verbis, quàm rebus ipſis: *indocti* rerum, ſed docti verborū, quò plus de ſua illa literatura latina, græca, hæbraïca præſumunt, eò minùs ſunt *docibiles Dei* & Eccleſiæ; fideq; *inſtabiles*, non ſolùm illa *difficilia 2. Petri 3.* ſed & facilia *deprauant*, ſeu detorquent ad ſenſum, affectū, & intentum proprium; cuius potiùs quàm veritatis ſtudio, Sacras Scripturas reuoluunt, & ad vertiginem vſq; ſcrutantur.

Quorum vnus quaſi pertæſus antiquæ & communis fidei, imò & ſuæ nouæ pſeudo-reformationis, inueterato Sacrarum Literarum ſcrutinio deficiens *Pſal. 63.* non tam inde, quàm ex proprio cerebro à pluribus annis concepit, ſed tandem 1655. in Batauia edidit, ſecumq; in Belgium Catholicū Namurcum vſq; contulit librum quendam anonymum DE PRÆ-ADAMITIS, eorūq; pluribus & diſparatis per totam habitabilem fabuloſis Genealogijs Gentium, diu ante ſpecialem illam Iudaicam ab Adamo vſq; ad Chriſtum. Contra expreſſam inhibitionem Apoſtoli *1. Tim. 1. Tit. 3.* Non intendendi fabulis & GENEALOGIIS INTERMINATIS: & *2. Tim. 4.* non auertendi auditum à veritate, & ad fabulas hæreticas conuertendi, quales hæ ſunt.

Quem fœtum abortiuum quaſi adhuc in cunis vagientem, Reuerendiſſimus Epiſcopus Namurcenſis Paſtorali vigilantia deprehendens, ad Petram fidei & Eccleſiæ Catholicæ alliſum *Pſal. 130.* hac cenſura proſcripſit. Imò & ipſi pſeudo-Reformati Caluiniani huius noui monſtri infamiam veriti, quamuis faſcijs Caluinianis inuolutum, & ab eorum non mediocri Rabbino oriundū, ex ouo ac ſpiritu eiuſdē pſeudo-Reformationis, pro libitu lectitandi & interpretandi Sacras Script. nouo ſuorum Statuum decreto igne damnarunt.

IOANNES

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPVS NAMVRCENSIS,

OMNIBVS HAS VISVRIS, SALVTEM IN DOMINO.

A*Dueniſſe iam tempora, de quibus Apoſtolus* 2. *Timoth.* 4. Cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur, *demonſtrat certus, qui recenter è prælo (impreſſore incognito) prodijt liber anonymus, intitulatus DE PRÆ-ADAMITIS, cum prima parte SYSTEMATIS THEOLOGICI ex Præ-Adamitarum hypotheſi, in quinque libros digeſti, & certa adhortatione ad Synagogas Iudæorum vniuerſas. Author huius imprimis* à veritate auditum auertit, *dum infantes & adultos non niſi per imputationem peccauiſſe declarans, ſe Caluinianum oſtendit: & per dictas litteras, vbi ſe optat vnum ex Iudæis, ſe Iudaiſmo affectum aſſerit.* Ad fabulas autem conuertitur, *dum contra vnanimem SS. Patrum conſenſum, homines ante Adamum ſpecie differentes conditos eſſe inducit: diluuium non vniuerſale facit, ſed tantum in Paleſtina: Adami infantiam, & multa alia de eodem fabuloſa ſpargit. Quia vero idem Apoſtolus conſequenter Timotheum, & in eo omnes Epiſcopos monet vt* vigilent, in omnibus laborent, opus ſuum impleant: *Nos, licet immeriti, in Epiſcopatu etiam conſtituti, Nobis id dictum exiſtimamus, ne & oues noſtræ per tales libros peruertantur, & ad nociuas fabulas inducantur, librum iſtum vbi legimus, & per alios viros graues legi & examinari curauimus, prohibendum duximus, & prohibemus ſtrictiſſimè eum legi, retineri, aut vendi, tanquam ſententias hæreticas, erroneas, temerarias, & pernicioſas continentem; Declarantes eum, aut eos, qui dictum librum, poſt notitiam huius noſtræ prohibitionis legere, retinere, aut vendere præſumpſerint, in excommunicationem maiorem, iuxta inhibitiones Pontificias deſuper latas, incidere & incidiſſe. Ordinantes Promotori noſtro, vt ſuper authore, impreſſore, & venditoribus ſeſe informet, vt informationibus viſis, ſtatuatur ea in parte, quod iuris erit: Datum Namurci* 3. *Anni* 1656. *ſub Sigillo noſtro, & Secretarij noſtri ſignatura.*

De Mandato perIlluſtris ac Reuerendiſſ. Dñi præfati, H. DE ZVERENDONCQ. Secret.

Digitized by Google

De qua velut crudeli ſuæ prolis alliſione Autor conquerens, proteſtatur, hanc ſuam de Præ-Adamitis opinionē, nec eſſe dogmaticam, nec vlli dogmati fidei contrariā: ſed iudicio Eccleſiæ Orthodoxæ, & Doctorum eius expoſitam, *pag 17. & 25. ſuæ exercitationis*: reliqua autem cenſurari contra ſuum ſenſum & intentum.

De quo cùm mihi ſatis conſtet, non ſolùm ex illius libri lectione, ſed etiam ex priuata ac modeſta deſuper collatione cū ipſo Autore: iamq; ad ſolatium ſenectutis profitear ſtudium potiùs quàm doctrinam Sacræ Scripturæ, præcipuè circa illa *difficilia quæ indocti & inſtabiles deprauant, 2. Petri 3.* quamuis hæc nec ſit prima nec tāta difficultas; ab ea tamen hac occaſione ordiamur, ex ſola doctrina expreſſa Sacræ Scripturæ, & S. AVGVSTINI, quā ipſe Autor profitetur ſe proprio iudicio præferre.

Qua proteſtatione, & expreſſa ſubmiſſione correctioni Eccleſiæ, videtur Cenſuram hæreſeos præuenire, Cap. 8. ſuæ Exercitationis. *Si licet per Dominos & Magiſtros meos, Doctores Orthodoxos, penes quos ius eſt ſummum inquirendi & ſtatuendi de Theologicis, & quorum iudicio, me meaq; omnia obſequenti & cæca religione deuoueo: experiar &c.* Cap. 26. *Nihil auſim aſſerere de his quæ videntur parum conuenire cum recepta opinione totius Eccleſiæ: cuius præceptis, atq; illud iterùm edico, totum me ſine fraude & deuotiſſime addico.* Sub Proëmio Syſtematis. *Si quis cauſa cognita me errare demonſtrauerit, hoc eſt, me in aliquo vel minimo aduerſari hiſtoriæ Geneſeos, aut quibuſlibet locis alijs Sacræ Script. vel diuerſum abire quantū latus vnguis eſt, à quouis capite fidei Chriſtianæ: primùm habebo illi gratiam maximā quòd me docuerit. Deinde vero nomen meum non pudebit apponere, &c. in eiurando tali errore meo, quē abominor ſi quis meus talis eſt. Quāuis enim mihi ipſi ſim amiciſſimus; magis tamē mihi amica eſt veritas, quod vnicè profiteor.* Quis hinc non potiùs miſereatur hominis errantis, quàm eum vt hæreticum pertinacem abhorreat? Cum S. AVGVST. *Præfatione in Librum de hæreſibus*, cenſeat vix poſſe conuinci quis ſit hæreticus, ſeu quis ex pertinacia voluntatis, vel ex ſolo errore intellectus, à fide aberret; plurimoſq; ab hæreſi videatur excuſare, Libro de vtilitate credendi cap. 1. *Hæreticus eſt qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatuſq; ſui gratia falſas ac nouas opiniones vel gignit vel ſequitur: ille autem qui huiuſmodi hominibus credit, homo eſt imaginatione quadam veritatis ac pietatis illuſus.* Epiſtola 162. *Dixit quidē Apoſt.* Tit. 3. *Hæreticum hominem deuita &c. Sed qui ſententiam ſuam, quamuis falſam atq; peruerſam, nulla pertinacia aut animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis atq; in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſollicitudine veritatem, corrigi parati cum inuenerint: nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi* &c. Concione 2. in illud Pſal. 30. *Qui viderunt me, foras fugerunt à me, i. Qui cognouerunt quid eſſet Eccleſia, exierunt & hæreſes & ſchiſmata contra Eccleſiam fecerunt. Hodie inuenis hominem natum in parte Donati, neſcit quid ſit Eccleſia, vbi eſt tenet, non illi euellis conſuetudinem quam ſuxit cum lacte matris. Illum da qui voluitur quotidie in ſcripturis, qui legit, qui prædicat: Itane tandem non ibi videt* &c. Libro de vnitate Eccleſiæ cap. 25. *Quiſquis contra veritatem qua conuincitur & arguitur inimicum geſtat animum, jam præciſus eſt.* Hæreſi 69. *Donatiſtæ poſt cauſam dictam atq; finitam, pertinaci diſſenſione firmata in hæreſim ſchiſma verterunt.*

Vtinam ex S. AVG. vel ex ſua ſubmiſſione, vel ex ſola opinione ac coniectura, extra materiā notoriam Fidei, poſſet Author hic Præ-Adamitarum, ſaltem coram Deo, excuſari ab hæreſi formali ſeu hæretica pertinacia. Sed videtur potiùs à S. AVG. accuſari, vt vnus ex illis *qui vanæ gloriæ cauſa falſas ac nouas opiniones ſequūtur*, & qui quotidie voluuntur in Scripturis, &c. Nec videtur illa eius ſubmiſſio vera, ſeu fieri veræ Eccleſiæ, ſed ſuæ prætenſæ. Imò videtur ſeipſum conuincere eſſe ex illis *qui contra veritatem qua conuincuntur & arguuntur inimicum geſtant animum.* Nam libro 4. ſui Syſtematis cap. 2. pag. 181. *Diuini* (inquit) *ſpiritus auxilio fretus, & inſtinctu EMOTVS, audeo quædam in quibuſdam Bibliorum locis conijcere,* &c. Quæ reſonant arrogantiam hæreticam ſpiritus priuati: cùm verus Dei ſpiritus quo Sacræ Script. inſpiratæ & interpretandæ ſunt, non cuiq; fidelium *1. Cor. 12. Eph. 4.* ſed ſoli veræ Eccleſiæ, promiſſus ſit, *Ioan. 14. 15.* Quia tamen fatetur ſe quodam *inſtinctu EMOTVM*, ſeu à ſana mente alienatum id ſibi arrogare: poſſet imputari alicui delirio partiali, ſine pertinacia hæretica; vel tantæ

Digitized by Google

illuſioni, vt in ſua illa opinione nihil veræ fidei contrarium aduertere poſſit.

Hinc nec Eccleſia infallibili iudicio fidei quenquam hæreſis internæ ſeu hæreticæ pertinaciȩ condemnat: ſed ſolam doctrinã, profeſſionẽ & pertinaciã externã; perſonas autem ſolo iudicio morali. Nec Epiſcopus Namurcenſis hunc Authorem, ſed eius librum cenſura hæreſeos perſtrinxit.

Experiamur ergo an illa eius ſubmiſſio vera ſit: & an per ipſam regulam Sacræ Scripturæ quam à ſua rectitudine fruſtrà deprauare conatur, poſſit ab illa mentis EMOTIONE, & inaduertentia fidei, ad ſobrietatem & aduertentiam reuocari. Non ordine inordinato & promiſcuo huius Authoris, ſed ipſius Sacræ Scripturæ.

Nec enim vnquam de vllius ſalute in hac vita deſperãdum: nec quamdiu ſubeſt ſpes aliqua correctionis, ſine periculo alienæ peruerſionis, vllus criminatione hæreſeos eſt irritandus; ſed potiùs miti excuſatione, priùs affectu, quàm intellectu, conciliandus eſt. Hæc autem excuſatio emotæ mentis, vſq; ad impoſſibilem aduertantiam hæreſis, multò minùs offendit, quàm criminatio hæreſis. Quia poteſt quis nimio ſtudio veri & boni excedere omnes animi vires, & mente emoueri, ſeu ab vſu rationis alienari. Quod faciliùs & frequentiùs accidere poteſt ijs qui ſpiritu & inſtinctu proprio vel maligno illuſi, eum pro diuino vltra vires humanas proſequi contendunt. Qui exceſſus ad verũ & bonum, niſi ex ambitione Luciferi vel Euæ procedat, videtur excuſabilior oppoſito defectu. Nemo ergo, nec ipſe hac eius excuſatione offendatur: quia ex familiari colloquio viſus eſt mihi non malignari, ſed nimio ſtudio proprio Sacræ Script. excedere, ſeu cõtra monitionẽ Apoſtoli *Rom. 12.* velle plus ſapere quàm oportet, non autem ad ſobrietatem.

Quo etiam ſenſu mihi videtur vſus S. AVGVSTINVS libro de Geſtis Pelagij cap. 6. *Intereſt quantum, intereſt vnde, intereſt poſtremò vtrum quis admonitus corrigat, an pertinaciter etiam defendendo dogma faciat, quod leuitate non dogmate dixerat. Cùm igitur omnis hæreticus conſequenter & ſtultus ſit, nõ autẽ omnis ſtultus hæreticus: rectè Iudices inſertũ ſtultiloquiũ propria voce Pelagiũ anathematizaſſe dixerunt.* Hinc nemo miretur me non operoſiùs & ſtudioſiùs eum hic vrgere. Quia ſi quid ſapit, ſolo hoc luſtro ſeu cõmemoratione ſuorum errorum erubeſcet, & reſipiſcet: ſi autem nihil ſub vllo lucido interuallo ſapit; fruſtra pluribus vrgeretur, vixq; ſubeſt periculum ne quis cum eo deſipiat, ſed ei potiùs illudat.

Nam LIBRO 4. ſui inſtabilis SYSTEMATIS *Cap. 1. pag. 171.* profitetur quidem *Sacris Biblijs contineri quicquid Deus nobis ſcire conceſſit, & quæ ad ſalutem ſpectant paucis clarè cõſtare:* Cur ergo tã inutilia fruſtra ſcire cõtendit? Negat tamen *pag. 172. 173.* haberi eorum AVTHOGRAPHA, ne quidem nobis à Deo tradita; ſed ſolùm APOGRAPHA, ſeu *à neſcio quo Authore,* confusè & promiſcuè *collectanea* & relata. Contra Authoritatem infallibilẽ S. Script. ex fallibili fide & intelligẽtia humana Collectorum. Quod eſt præludium Atheiſmi: *Donec fiat in anima nihil colendũ eſſe, & errare homines qui ſe ſuperſtitioni inuoluũt, & miſera implicãt ſeruitute.* Ex S AVG 38. de vera Rel.

LIBRO 1. 2 3. deprauat *cap. 1. & 2. Gen.* quaſi referrent diuerſas hominum productiones: priùs quidem longo tempore, plurimorũ per totam terram maſculorũ & fœminarũ, his verbis c. 1. *Faciamus hominẽ.* &c. *Et creauit Deus hominem &c. Maſculum & fœminam creauit eos*: poſteriùs autem, ſolius ADAMI & EVÆ, his verbis cap. 2. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, &c. Ædificauit coſtam quam tulerat de Adam in mulierẽ, &c.* Contra totum ordinem Geneſeos, priùs referendi creationem, quàm modum eius diſtinctum: qui ex illa creatione infertur, & ad illam refertur *cap. 2.* per particulam *IGITVR, Formauit igitur,* &c. Et contra hanc expreſſam recapitulationem Gen. 5. *Hic eſt liber generationis Adam, in die qua creauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit eum, maſculum & fœminam creauit eos, & vocauit nomen eorum ADAM.*

Nec ſolùm expreſsè contradicit huic Sacræ literæ, eiuſq; vero ſpiritui: ſed & ſibi-ipſi, negando toto opere Gentiles eſſe eiuſdem Originis, imò *lib. 2. c. 10. pag. 102.* eſſe eiuſdẽ ſpeciei cum Iudæis, vt nec alia omnia animalia inter ſe, ex illo Pſalm. 47. *Speciem Iacob quem dilexi*; & tamen fatendo *L. 1. c. 4. & l. 2. c. 1.* eſſe ex eadem materia, ſeu LVTO, ex quo ſolus Adã formatus fuit.

L. 3. C. 2. 3. ad liniendum prius figmentũ, fabulatur Deũ adduxiſſe ab extremis terræ omnia animalia, & inter ea etiam Præ-Adamitas: non ſolùm ad conſiderandas eorum naturas, imponenda, pronuntianda & inſcribenda eorum nomina; ſed etiam ad exquirendam Adamo vxorem ſimilem; qua nõ inuenta, fuerit ei formata ex latere.

Quaſi

Quaſi Deus qui tam ſubitò euocauerat omnia ex nihilo ad eſſe, non potuerit omnia animalia coram Adamo in ictu oculi veluti luſtrare, vel ex illis fuiſſet Adamo vxor quærenda, ſed non inuenienda.

LIBRO *3. cap. 3.* Ex Tunicis pelliceis factis Adamo & Euæ, quaſi per ludibrium Sacræ Scripturæ conijcit ex tunc fuiſſe PræAdamitas, CORIARIOS, & PELLIONES. Quaſi Deus qui è nihilo extendit cœlum ſicut pellem *Pſalm. 130.* quiq; animalia ſuis pellibus naturalibus, imò & plantas ſuis inuolucris veſtit, *Mat. 6.* non potuerit niſi per pelliones & ſutores veſtire primos parentes. Diſſimulat autem, vel emota mente non aduertit ibidem, ante veſtes illas pelliceas Adamum vocare vxorem ſuā EVAM: *eo quod mater eſſet cunctorum viuentium*, vtiq; hominum. Quæ eſt expreſſa negatio omnium aliorum. Ex eodem *cap. 3. Gen.* deprauat paſſim ſententiam illam & pœnā mortis, omniaq; pœnalia ac vitioſa corporis & animi: quaſi eſſent naturalia, equidem futura, imò & neceſſaria, vt homines ex mortuis fierent immortales, & ex peccatoribus fierent participes redemptionis Chriſti. Sic enim expreſsè *L. 5. cap 1. pag. 240. 241.* Contra expreſſam pœnā mortis, & vim ligni vitæ *cap. 2. & 3.* Nec ſolùm contra *Sap. 1.* quòd Deus mortē nō fecerit, 2. quòd creauerit hominem inexterminabilem: ſed etiam contra *Rom. 5.* quod mors intrauerit in mundum per peccatum.

Quāuis enim *L. 1. c. 3. à pag. 10 ad 15.* conetur conciliare mortē naturalem, cum legali ſeu pœnali, exemplo Rei ad mortem condemnati, etiamſi naturaliter morituri: hic tamen Reus non punitur ipſa morte naturali, ſed violenta; Adam autem non eſt mortuus morte violenta, ſed naturali: qua non fuiſſe moriturum niſi peccaſſet S. AVG. cenſet eſſe de fide Lib. 13. Ciu. c. 15. *Conſtat inter Chriſtianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipſam corporis mortem, non lege naturæ qua nullam mortem Deus homini fecit, ſed merito inflictam eſſe peccati.* Et oppoſitū recenſet inter hæreſes Pelagij, vt Can. 1. Concil. Mil.

LIBRO *3. Cap. 4.* Ex CAIN tunc agricola eiuſq; fratre ABEL paſtore ouium, huiuſq; ab illo euocatione FORAS ad eum occidendum, & illius fratricidæ timore ne ab alijs occideretur, & refugio ad Terram Orientalem, vbi genuit ENOCH, & ædificauit ciuitatem, *Gen. 4.* conijcit terram fuiſſe ante ADAMVM habitatam ab artificibus neceſſarijs ad agriculturam, omnemq; eius vſum humanum; imò & à furibus, quorum periculo oues erant cuſtodiendę, alijſq; hominibus à quibus CAIN ſibi cauebat, & ad quos refugiebat. Contra finem eiuſdem CAP. quo referuntur patres artificum ſeu inuentores artium; & initiū CAP. 6. *Cùm cœpiſſent multiplicari homines, &c.* Quaſi verò non potuerit exerceri rudis & tunc neceſſaria agricultura ſine tanto apparatu artificiali: & oues à feris vel perditione cuſtodiri; nec CAIN veritus ſit ſuos parentes, & alios eorum filios ac nepotes, nec ſemper præſumat ſæua perturbata conſcientia, *Sap. 17.*

Sed auget ſuam coniecturā ex fine *cap. 4.* & initio 5. qūibus refertur ADAM 130. annorum ex EVA genuiſſe SETH pro ABEL occiſo, deinde GENVISSE FILIOS ET FILIAS. Quaſi totis 130. annis in tanta neceſſitate & fœcunditate non genuiſſent niſi tres filios, nec vllam filiam: & quaſi ſolùm poſt SETH genuerit alios filios & filias. Cúm lege naturali & poſitiua Dei debuerint, & potuerint interim generare plurimos filios & filias, & per eos propagare magnos populos.

Ex S. AVGVST. 15. Ciuit. 8. [Non omnes homines qui tunc eſſe potuerunt neceſſe habuit Sacra Script. nominare: ſed eos ſolos quos operis ſuſcepti ratio poſtulabat, &c. per ſucceſſiones certarum generationum ex vno homine peruenire ad Abrahā; deinde ex eius ſemine ad populum Dei &c. ita vt nec de altera ſocietate hominum taceretur &c. vt ciuitas Dei etiam ſuæ aduerſariæ comparatione clareſcat. Cùm igitur Script. diuina concludat, *& genuit filios & filias &c.* nunquid quia eoſdem non nominat, intelligere non debemus per tam multos annos quibus tunc viuebant naſci potuiſſe plurimos homines, quorum cœtibus condi poſſent etiam plurimæ ciuitates? *Infra.* Quod ex hoc conijci facillimè poteſt: quia ex vno *Abraham*, non multo amplius 400. annis numeroſitas Hebrææ gentis tanta procreata eſt, vt in exitu eiuſdem populi ex Ægipto 600000. hominum fuiſſe referantur bellicæ iuuentutis; vt omittamus gentem *Idumæorum*, & alias ex ſemine ipſius *Abrahæ*, &c.

LIBRO *4. Cap. 7. 8. & 9.* adulterat totam Sacram hiſtoriam diluuij *à cap. 6. Gen. ad 10.* Quaſi diluuium illud non fuerit vniuerſale, ſed ſolius Iudææ & Iudæorum, nō autem Gentium ſeu Præ-Adamitarum per totam terram: & quaſi columba ex Arca emiſſa,

emiſſa, retulerit ramum oliuæ virentis ex Regione viciniore, vltra diluuium; deniq; quaſi filij Noe non reſtituerint genus humanum per totum orbem, ſed ſolùm Iudæos per Iudæam. Cùm Sacra Script. *cap. 6. & 7.* tam expreſsè referat, non ſolùm deleuiſſe hominem ex tota terra, ſed etiam omnia animalia, imó & omnes volucres: quæ tamen, æquè ac columba ex Arca, potuiſſent tranſuolare, imó & multa animalia tranſnatare, ipſiq; Iudæi refugere ad ſua ſaltem confinia, ſi quæ fuiſſent à diluuio libera. *Cap. 7. 8. 9.* & *1. Pet. 3.* excipiat ſolùm 8. homines, & animalia in Arca à diluuio præſeruata. Exceptio autem firmat regulam, ſeu includit omnes non exceptos. *Cap. 7.* Referat diluuium exceſſiſſe omnes montes 15. cubitis, per 150. dies. *Cap. 8.* Poſt 150. dies cœpiſſe minui, & Arcam requieuiſſe ſuper montes Armeniæ, qui dicuntur altiſſimi. *Cap. 9.* A tribus filijs Noe *diſſeminatum eſſe omnes genus hominum ſuper vniuerſam terram.* *Cap. 10.* Ab eorum filijs *diuiſas eſſe Inſulas Gentium,* &c. .i. partiti ſunt inter ſe, & creſcendo incoluerunt regiones tranſmarinas, & Inſulares, vt Caſtillani & Luſitani Indias: non autem regiones vicinas & circumfuſas gẽtibus PręAdamitis; vt harum fictor delirat, vel ioçatur pag. 215. *Vt,* inquit, *Inſulas domorum appellant quæ vicus conterminis ambiuntur.* Eodem *Cap.* Regnũ Babylonis ortum fuiſſe à progenie Cham. Sub finẽ, Ab his tribus familijs, *diuiſas eſſe gẽtes* poſt diluuium. *Cap. 10.* Ante diuiſionem illam *in vniuerſas terras*, attentaſſe turrim, Babylonicã, ſed ex confuſione linguarum *diſperſas fuiſſe per cunctas regiones. Vnde* (inquit Avg. 16. Ciu. 3.) *colligitur 73. vel 72. gẽtes tũc fuiſſe.*

Mat. 24. Luc. 17. 2. Pet. 2. finis mundi & iudicium vltimũ Dei comparatur huic diluuio: quód vt hoc ſubitó *omnes perierunt,* ita & illo peribunt. *1. Petr. 3,* & alibi, vera Eccleſia Dei extra quam nemo ſaluari poteſt, comparatur in hoc Arcæ Noe: imó & Sacrum Baptiſma, diluuio, ſolã Arcam ſubleuanti ac ſaluanti.

L. 3. cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & L. 4. c. 9. 10. 12. 13. conatur corrigere, tot tamq; expreſſa Sacræ Script. teſtimonia cõtra PræAdamitas: *A pag. 129. ad 150.* ex Philoſophis & hyſtoricis Gentilium, Chronicis Aſtronomicis Chaldæorum & Ægyptiorum, ſucceſſione Regum, Ægyptiorum, & Chynenſiũ. *A 150. ad 168.* Ex neceſſaria origine Aſtronomiæ, Aſtrologiæ, Theologiæ & Magiæ Gentilium, ab obſeruantijs experientijs & memorialibus antiquioribus Adamo. A *pag. 215. ad 234.* Ex tãtis Regnis Gentium poſt 300. circiter annos à diluuio; ex quadam æternitate mundi vltra omnẽ memoriã, & ex ętate quorundã animalium vltra Adamũ. Cum hæc omnia, vt fabuloſa, corrigenda ſint ex ipſa Sacra Scriptura & fide Chriſtiana: & ex infuſa à Deo notitia omnium ſaltem neceſſariorum primo Parenti generis, quicquid hic neget *L. 3. cap. 3. l. 4. cap. 1.*

Contra corruptiones noui Teſtamenti ad ſuum intentum.

PRiori Opuſculo *pag. 50.* Illud Act. 7. *Deus fecit ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ*: detorquet ab expreſſa vnitate primi parentis, ad ſolam vnitatem materiæ .i. inquit *terræ, pulueris, carnis & ſanguinis.* Quia Græcè legitur *ex vno ſanguine;* ſubditurq; *Genus ergo cùm ſimus Dei,* non progenies Adami. Cùm eadem progenies ſoleat exprimi per vnitatem ſanguinis, nec vnquam dicamur ex eodem ſanguine cum Brutis, nec Præ-Adamitæ forent ex eadem carne & ſanguine, ſi ſpecie differrent à Iudæis, nec forent ex terra & puluere niſi ab Adamo. Nec, *Genus ergo cum ſimus Dei*, infertur ex illo remoto, ſed ex hoc proximo dicto Poetæ, Ipſius enim & genus ſumus, referturq; ad ſolam quandam ſimilitudinem Dei, contra Idololatriam diſſimilium, nullatenus autem contra vnitatem ſpecialem primi parentis.

Cap. 20. pag. 40. 41. peruertit *Remiſſionem præcedentium delictorum*, Rom. 3. v. 25. ad ficta delicta Præ Adamitarvm, quaſi priora omni lege & culpa Adami: Cùm ſint tantùm priora ipſa remiſſione, vel Chriſti redemptione. Nec alium ſenſum indicat textus Græcus, per *remiſſionem, relaxationem*, vel *deſitionem præfatorum delictorum*: non autem illa *prætereundo*, vt ipſe etiam peruertit; quaſi Chriſtus irremiſſa prætериſſet. Sic enim *1. Tim. 5. verſ. 24.* per *quorundam peccata manifeſta, præcedentia ad iudicium, quorundam autem & ſubſequentia*, non poſſunt intelligi priora vel poſteriora lege Adami, ſed ipſo iudicio, quoad eorum manifeſtationem, vel etiã eorundẽ durationẽ.

Sed ad fundandam ſuam fabulam, toto ſuo priori & poſteriori figmento præ omnibus deprauat, vel ſupponit hunc deprauatiſſimũ ſenſum Apoſt. *Rom. 5. v. 12, 13. 14.*

Hinc Hebr. 2. v. 11. etiam Græcè. *Qui ſanctificat & qui ſanctificantur, ex VNO OMNES. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, &c.*

Digitized by Google

Quaſi *peccatum quod per primum hominem intrauit in mundum, & per peccatum mors*; non fuerit primum peccatum, ſed primum imputatum contra legem Dei; nec mors prima ſeu naturalis, ſed pœnalis. *Nam vſq; ad legẽ*, quaſi primam datam Adamo, *peccatum erat in mundo*, quaſi in Præ-Adamitis. *Peccatum verò non imputabatur, non exiſtente lege*: Quaſi ante illam primam legem non veſcendi tali fructu; peccata PræAdamitarum non fuerint eis imputata vt cōtra legem Dei, quia erant ſolùm vitia naturalia contra ſolam rationem humanam. *Regnauit autem mors*, quaſi ſolùm illa pœnalis, *ab Adamo vſq; ad Moyſem* .i. legem eius, ſeu vſq; ad Chriſtũ, *in eos etiam qui non peccauerant in ſimilitudinem præuaricationis Adam*, quaſi etiam in Præ-Adamitas. Donec Chriſtus ſua morte ſatisfaciens illi primæ legi, aboleuit mortem pœnalem, ſed necdum noſtram naturalem, vſq; ad Reſurrectionem. Hæc eſt noua & miſeranda emotæ mentis, non tam opinio, quàm inſania: non ſolùm contra ſenſum etiam dogmaticum totius Eccleſiæ, de quo *contendere, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*, cenſore S. Aug. lib. 1. ad Ianuarium c. 5. ſed etiam contra expreſſimum ipſius Apoſtoli ibidem.

Non de primo peccato actuali, perſonali, formali, libero, & ſolis ſingulis imputato, ſaltem contra legem naturalem Dei: quia ſic Inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum, *Sap. 2.* Ille homicida erat ab initio, *Ioan. 8.* Ab initio Diabolus peccat, *1. Ioan. 3.* Ipſeq; Adam & Eua priùs peccarunt. Sed de peccato Originali, quod per demeritum illius actualis Adami contra legem illam pœnalem Dei, *intrauit in mundum* .i. in ipſum, & Euam, omneſq; ac ſingulos ab eis genitos. *In quo*, ſeu per quem, *omnes peccauerunt* .i. meritò facti ſunt rei veræ culpæ, & pœnæ mortis.

Vſq; ad quam legem autem peccatum erat in mũdo, verſ. 13. ſatis exprimit verſ. 14. *Ab Adam vſq; ad Moyſen*, & cap. 7. verſ. 7. *Peccatum non cognoui niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret: Non concupiſces.* Ergo vſq; ad hanc legem expreſsã per Moyſen, peccatũ originale & actuale cōcupiſcendi erat in mũdo: ſed non imputabatur .i. reputabatur. A quo? Non à Deo, qui meritò ſemper omnia imputãda imputat, donec ea verè per gratiam remittat: ſed à nobis ipſis, ex aliqua ignorãtia huius legis & peccati. Quam ipſe Chriſtus adhuc magis correxit *Mat. 5.* Contra quam imputationem Caluinianam, vt huius fabulæ originem, ſtudioſiùs infra.

Sed regnauit mors ab Adam vſq; ad Moyſen, etiam in eos qui non peccauerunt, vel vt hic vult ex aoriſto Græco, qui *non peccauerant in ſimilitudinem præuaricationis Adæ*: non vt idem fingit, in aliquos PręAdamitas qui ante Adam peccauerant, non tamen contra illam legem vt Adam. Sed in eos qui ante pœnam mortis nec peccauerant actu proprio ſicut Adam. Quales ſunt omnes ante vſum vel abuſum rationis in ſolo peccato originali morientes. Ex S. Aug. *l. 1. de pecc. mer. & rem. c. 11. l. 2. de Nupt. & Concup. c. 27.* ſed optimè *Epiſt. 89.*

Libro 4. Syſt. c. 11 p. 223. 224. Neſcio quo fine corrumpat illud 1. Cor. 15. v. 25. *Oportet Chriſtum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius*, vt Pſal. 109. & v. 28 *Cùm autem ſubiecta fuerint illi omnia: tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus*: Contra æternum Regnum Chriſti. Niſi in fauorem Chiliaſtarum, de Regno Chriſti & cum Chriſto mille annis, quaſi ex *Apoc. 20.* & impij Heluidij contra Deiparam Virginem poſt partum, quaſi ex illo *Mat. 1.* Ioſeph non cognoſcebat eam donec peperit; imo & in fauorem Iudæorum, non ſperantium niſi Regnum Chriſti temporale.

Meruit enim grauem Iudaiſmi ſuſpicionem in Cenſura R.mi Epiſcopi Namurc. Non ſolùm ex illa finali Apoſtrophe ad Synagogas Iudæorum, qua exoptat mori morte eorum: ſed etiam ex *lib. 2. ſui Syſt.* quo à cap. 1. ad 11. totum ſe profundit in laudes Iudæorum, vt filiorum Dei electorum, & in probra Gentilium vt animalium immundorum & reproborum. Quamuis enim excuſet ſe ex Apoſtolo *Rom. 2. 9.* & alibi, per diſtinctionem inter Iudæos ſeu Iſraelitas, ſola carne, vel ſpiritu: videtur tamẽ eis omnibus tribuere ſpecialem Dei electionem ad conuerſionem & ſalutem finalem; nec ſcripto aut colloquio priuato voluiſſe vllos viuos aut mortuos excipere. In quo præ ipſis omnibus Iudæis iudaizaret. Verum ab his priuatis ineptijs, ad controuerſiam communiorem & grauiorem.

Libro 4. Syſt. c. 14. Refert hanc Cenſuram Grotii Caluiniſtæ, in ſuum primum Opuſculum: *Aliquos ante Adamum fuiſſe conditos homines, nuper aliquis in Gallia ſomniauit. Si hæc crederetur, magnum video periculum pietati* .i. ſanæ fidei de peccat. orig.

Contra

QVa cenſura ſtimulatus, toto libro 5. per quandam antiperiſtaſim intendit omnem conatum conciliandi hanc ſuam fabulam hæreticam, cum vera fide peccati originalis: per ſolam eius imputationem Caluiniſticam, abſq; vlla propagatione ab Adam.

Quamuis enim quædam imputatio, aut non imputatio peccati originalis & actualis poſſet ex S. AVG. excuſari ab omni Caluiniſmo: quia tamen nec ſcripta, nec dicta hæretici merentur excuſationem, ſed ſemper grauem ſuſpicionem ſenſus hæretici, Rmus EPISC. NAMVRC. eum de imputatione Caluiniana meritò cenſurauit. Ex Conc. TRID. ſeſſ. 5. can. 3. *Peccatum originale ineſt vnicuiq; proprium.* Can. 5. *Per gratiam Chriſti in Baptiſmo tolli totum id quod propriam peccati rationem habet, non autem ſolum radi, aut non IMPVTARI.* Seſſ. 6. Can. 11. *Si quis dixerit homines iuſtificari vel ſola IMPVTATIONE iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorũ per Spiritũ S. diffundatur, atq; illis inhæreat; aut etiam gratiam qua iuſtificamur eſſe ſolum fauorem Dei, Anathema ſit.* Can. 25. *Si quis in quolibet bono opere iuſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius eſt, mortaliter, atq; ideo pœnas æternas mereri; tantumq; ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem: Anathema ſit.*

Quam intrinſecam iuſtificationem ab intrinſeco reatu culpæ & pœnæ originalis & actualis, videtur & hic verbotenus confiteri; ſed ſcriptis negare. Nam toto ſuo opere contendit, peccata contra ſolam legem naturæ non fuiſſe imputata Præ-Adamitis; ſed peccatum Adami contra primam illam legem externam cœpiſſe illis & omnibus etiam Præ-Adamitis imputari. Priori Opuſculo *c. 1. p. 2.* Gratiã Chriſti *imputatiorem* fuiſſe transgreſſione Adami. *Cap 7. p. 14.* Infantes peccaſſe per imputationem ad ſimilitudinem Adami .i. p. 15. *Secundùm proportionem voluntatis teneræ, & duratæ in adultis.* P. 15. *Non ſecundùm ipſum actum peccati, quem ſi poſſent, non peccarent ad ſimilitudinem, ſed ad veritatẽ ipſam adultorum.* Cap. 16. *Oſee 6.* Iudæos *tranſgreſſos eſſe pactum Dei* per Moyſen, *ſicut Adam* ſuum. Cap. 16. Neminem peccare eodem peccato quo Adam, ſed infantes, ad ſolam ſimilitudinem, per imputationem eiuſdem, adultos autẽ etiam per imitationem. *Cap. 19. p. 39.* Peccatum illud Adami fuiſſe etiam PræAdamitis imputatum: vt & ipſi fierent participes redemptionis Chriſti. *Cap. 21. p. 41. 42.* Vt necdum nati, peccarunt in Adamo, ſic & Præ-Adamitæ. *Cap. 23.* Vt Chriſtus non fuit vltimus hominum: ſic nec Adam primus omnium, ſed peccatorum per imputationẽ, vt Abraham Pater omnium credentium.

Libro 1. Syſt. c. 1. Peccata ante illam primam legem fuiſſe naturalia; poſt, legalia, per imputationem. *C. 2.* Naturam non fuiſſe corruptam per peccatum. *C. 3.* Mortem & omnia eſſe æquè naturalia. *Lib. 3. Cap. 3.* Adam creatum fuiſſe infantem, eumq; *Ephebum fuiſſe edoctum à quodam SAMBOSCHER. Libro 4. cap. 1.* Non potuiſſe niſi paulatim diſcere.

Libro 5. c. 1. p. 241. Homines non potuiſſe fieri reos mortis per vllum peccatum contra naturam, ante imputationem peccati contra primam illam legem Dei. *Cap. 2.* Peccatum originale, vt vitium, eſſe naturale; vt reatum, ex Adamo per imputationem. *Imputare alicui alterius peccatum, eſſe illum eodem loco habere ac ſi ipſe commiſiſſet,* quia illi *communione quadam iunctus eſt.* P. 245. *Imputari phyſicè, politicè, vel myſticè.* P. 248 Myſticè, *Imputatus fuit Adamus peccator hominibus, vt eiſdem imputaretur Chriſtus mortuus Non enim referri debet Chriſtus ad Adamũ, ſed hic ad Chriſtum.* P. 251. 252. Adam, Abraham, & Chriſtus, fuere omnes homines, & hi omnes vnus in eis: vnitate ſimilitudinis, & participatione eiuſdem naturæ. P. 252. *Adam, Abraham, & Chriſtus fuiſſe principes, ſyndices, ſponſores, & vades totius generis humani, &c. Peccatum Adami non fuit actus perſonalis, ſed repræſentationis.* P. 253. *Mandato Dei fretus, neſciis etiam hominibus res eorum gerebat, &c. Qua imputatione Chriſtus fuit iuſtitia noſtra, eadem Adamus fuit peccatum noſtrum.* P. 255. *Nullus mortalium mortuus eſt, aut mori debuit ex decreto illo, ſed ſolus Chriſtus.* Cap. 4. p. 256. *Nulla imputatio alieni peccati poteſt aliter quam fictione cõcipi.* p. 257. *Peccatum Adami factum eſt omnium hominum imputatione, & fictione, qua IDEM fuiſſe NVMERO reputatum eſt cum peccato Adami.* Cap. 6. p. 271. *Falluntur qui autumant mortem æternam conſecutam eſſe ex peccato Adami.* P. 274. *Imputatio peccati Adamitici præparatio fuit ad recipiendam iuſtitiã Chriſti.*

Quanta hîc colluuies hæreſum! 1. Quaſi peccata PræAdamitarum contra ſolam legem naturæ, non fuerint eis imputata: cùm tamen ſint grauiſſima, fuerintq; Angelis grauiſſimè imputata, & omnibus imputentur. 2. Quaſi peccatum originale non inſit ſingulis proprium: ſed ſit vnum idemq; actuale ſolius Adami omnibus imputatum. 3. Quaſi natura humana non fuerit illo peccato Adami, corpore, nec animo, intrinſecè corrupta. 4. Quaſi ſoli Chriſto fuerit cauſa mortis, nec vlli cauſa damnationis, ſed præparatio redemptionis. 5. Quaſi infantes peccent propria cognitione & voluntate: non tamen æquè, ſed ad ſimilitudinem ſeu proportionem voluntatis *teneræ, cum indurata.* 6. Quaſi peccatum, ſaltem originale, nõ ſit Reatus culpæ, ſed ſolius pœnæ. 7 Quaſi Deus imputet aut non imputet ad peccatum quicquid, quibus, & quantum vult. 8. Quaſi Deus imputet etiam ad culpam peccata aliena, quibus & quãtum vult, ſine vllo eorum ſcitu aut conſenſu. 9. Quaſi Deus ſit Author peccati originalis, imò & omnium: imputando illud omnibus etiam Præ-Adamitis, non ex propagatione naturæ, ſed ſola *fictione*, ac ſi omnes eſſent Adami complices. Quamuis enim fingat ſe fundare ſuam imputationem ſuper aliqua myſtica communione, participatione, repræſentatione: hanc tamẽ nec poteſt concipere, nec proferre ſine *fictione*. Sed nec fingere poteſt quo myſterio peccatũ Adami potuiſſet imputari Præ-Adamitis, etiam præmortuis, non plus quàm Angelis. Quod enim exemplificat in principe: nec quadrat quoad culpam, nec quoad iuſtam pœnam ſubditorum, ſine vllo eorum ſaltem tacito conſenſu, ſed ſolius principis in ſuis. Nec quod in Chriſto, mortuo pro præmortuis, nec à ſe genitis: quia ſummo iure eſt Caput omnium; nec æquè requiritur conſenſus aliorum ad eis merendum gratiã & gloriam, quàm ad eis demerendum etiam culpam.

Sed quo fine & fructu cum hæreticis contendere de poſſibili aut impoſſibili vero reatu culpæ & pœnę originalis, ex ſola alieni peccati actualis imputatione?

Cùm

Digitized by Google

Cùm certiſſima fide conſtet, non oriri ex ſola imputatione: ſed ex vera ab Adamo generatione.

1. Ex ſenſu & conſenſu communiſſimo, etiam dogmatico, totius Eccleſiæ: hanc noſtram culpabilem ac pœnalem originem lamentantis, imo & hoc ipſo culpæ originalis nomine, ac remedio Sacramentali confitentis. Quæ confeſſio practica, à lege naturę inchoata, per circumciſionem Iudaicam aucta, lege gratiæ expreſſima, fundatur infallibili Verbo Dei, priùs tradito, audito, & credito, quàm ſcripto.

2. Ex Sacris Concilijs, quæ ex hac potiſſimùm Traditione definierunt, Baptiſmum eſſe neceſſarium omnibus etiam infantibus, vt ab Adamo in culpa originali genitis, ad ſalutarem in Chriſto regenerationem. Qualia fuerunt, *Mileuitanum*, & plura Africana à tota Eccleſia recepta, contra Pelagianos: *Arauſicanum* in Gallia, contra ſemipelagianos; & tandem *Trid.* ſupra, contra illas imputationes & non imputationes Caluinianas & Lutheranas: ſed directè contra Fictorem Præ-Adamitarum, qui Namurci coram nobis pluribus illi CONC plurimùm detulit. Seſſ. 6. Cap. 6. *Reuera niſi homines ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti: cùm ea propagatione dum per ipſum concipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahant, &c.*

3. Ex litera, & ſpiritu, ſeu ſenſu expreſſo Sacræ Script. Non ſolùm per neceſſariam circumciſionem Iudæorum in membro generationis, *Gen 17.* per immunditiam generationis, & oblationes pro genitoribus & genitis, *Leuit. 12* per conceptionem in peccatis, *Pſal. 50.* per ſemen humanum tam immundum, vt ab eo ſolus Deus homines mũdare poſſit, *Iob 14.* Sed & potiùs per illud edictum Chriſti, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* per neceſſarium *lauacrum Regenerationis*, *Eph. 5.* & frequentem Antitheſim inter noſtram regenerationem in nouum hominem, per Baptiſmum, ex gratia, quaſi ſemine ſpirituali Dei & Chriſti: & priorem generationem in culpa originali, ex veteri homine ſeu Adamo in nobis, *Rom. 6. Coloſ. 3. 1. Ioan. 3. 1. Petri 1.* Per confeſſionem Apoſtoli, Eph. 2. *Eramus NATVRA filij iræ, ſicut & cæteri*: Non *naturâ* vt à Deo condita; ergo vt ab Adamo in culpa genita.

Imò & *Rom. 5.* vnde hic Præ-Adamizat & imputizat, Chriſtus in hoc comparatur vel opponitur Adamo: quòd ſicut per hunc vnum, *peccatum intrauit in omnes homines*, & per huius *vnius delictũ omnes facti ſunt rei ſuæ culpæ originalis*, per huius *vnius inobedientiam omnes conſtituti ſunt peccatores*: ita & *per mortem ac obedientiam Chriſti omnes iuſtificentur* etiam à peccatis actualibus, *& iuſti conſtituantur.* Non eadem ipſâ iuſtitia Chriſti, nec ſolâ eius imputatione; ſed vera & reali applicatione Sacramentali, vera ac reali participatione intrinſeca gratiæ; ergo & vera ac intrinſeca participatione naturæ & culpæ ab Adamo.

Nec obſtat illa *nõ imputatio*, ſeu reputatio, ante legẽ: quia non à Deo, ſed a nobis, ex culpabili ignorantia. Nec *Cap 4.* Illa à Deo *imputatio* ſeu *reputatio fidei Abrahæ ad Iuſtitiam*, nec *imputatio mercedis ſecundùm gratiam vel ſecundùm debitum*, nec beatificatio eius *cui non imputauit Dominus peccatum*, ex *Pſal. 31.*

Quia nulla illarum eſt ab extrinſeco: ſed *imputatio Abrahæ*, eſt ab intrinſeca eius fide, & omnium eiuſdem fidei; *imputatio mercedis*, à gratia & bono opere cuiuſuis; *non imputatio* illa peccati, eſt ab intrinſeca iuſtitia, ſine malitia imputabili. Subdit enim: *Nec eſt in ſpiritu eius dolus, ſeu malitia.*

Nec deniq; illud cap. 5. *In quo omnes peccauerunt*, quaſi per imputationem eiuſdẽ peccati actualis. Quia non IN QVO vel quo peccato, ſed græcè in Adamo. Nec IN QVO quaſi imputatiuè, ex ſolo pacto: ſed etiam ex lege connaturali generandi ſibi ſimile in principio & termino formali generationis, & vera participatione ſimilis naturæ. Nec IN QVO actu, aut propria potẽtia actiua ſingulorũ, ſed paſſiua, & remota i. *per quem*, non per ſe peccauerũt. Non quaſi per ſuã cauſam inſtrumentalẽ; ſed principalẽ, imò totalẽ. Vt enim à ſola voluntate actiuè peccante, membra corporis dicũtur peccare ſolùm paſſiuè, & formaliter: ſic & ab Adamo ſolo peccãte actualiter, omnes ab eo oriundi culpantur. Vt hæredes ſunt debitores debiti non à ſe, ſed à patre deſuper hypotecati: vel filij priuantur gratia principis, ob crimen ſolius Patris: vel opus ab aliquo perfectũ, ſed ab alio corruptũ, diſplicet Authori: vel vt vinum benũ ex ſua vite, diſplicet corruptum in vaſe. Sic natura humana à Deo perfecta, ſed ab Adamo corrupta, meritò diſplicet Deo.

Quo ſenſu imputandi, S. AVGVST. ſeipſum voluit intelligi, libro 2. de Nupt. & Concup. cap. 24. *Concupiſcentia dimittitur in Baptiſmo: non vt non ſit; ſed vt non imputetur in peccatum.* Non ab extrinſeco, ſed ab *occultiſſima illa gratia quam latenter infundit & paruulis*, *lib. 1. de pecc. mer. & rem. c. 9.* In Pſal. 118. Conc. 3. *In fide pia quiſquis ambulat, aut peccatum non operatur, aut ſi quid à deuiante committitur, propter viam non imputatur, & tanquã non fuerit operatum accipitur.* Quia *propter viam piæ fidei*, quam ſolam talis intendit, non eſt imputabile ſi nec ſciens, nec volens ab ea deuiet; ſed vt *Rom 7.* moraliter illud non operatur.

Eodem ſenſu peccandi in Adamo, ſeu non per ſe, ſed per illũ ſolũ, S. AVG. l. de Libero Arb. c. 2. *Vt Adã meliores ſe gigneret, non erat æquitatis.* L. 13. Ciu. c. 3. *Non aliud ex eis quàm quod ipſi fuerant naſceretur.* L. 1. de pecc. mer. & rem. c. 10. *In ſimilitudinẽ Adæ.* Rom. 5. id eſt *Vt ei ſimiles crearentur ſicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores, &c.* Sic & *Epiſt. 83.* ac alibi, applicans, quòd *Rom. 5.* Adam ſit etiam *forma* huius ſimilis *futuri*, non autem ſolùm *Antitypus Chriſti.* Lib 10. in gen. c. 3. *Corporibus humanis tales congruit animas inſeri.* c. 14. *Infans baptizetur ne obſit animæ ſocietas carnis.*

Quod autem l. 3. de pecc mer. & rem. c. 10. & l. 3. c. 7. *In Adam omnes peccauerunt, quando omnes in illo, vel ille fuerunt.* Et ſæpe exponit peccatum noſtrum originale eſſe voluntarium voluntate Adami. Non quaſi ex tunc ita fuerint actu: nec tamen ſolùm repræſentatiuè & imputatiuè; ſed cauſaliter, ſeu in potentia naturali, & libera, generandi ſibi ſimiles, ſeu participes eiuſdem naturæ, vel veræ & bonæ moraliter, qualis à Deo erat inſtituta, vel falſæ & malæ, qualis ab ipſo eſt vitiata. Sicq; omnes, & omnium peccata originalia erant in, & ſub eius voluntate: vt eius membra ſeu partes futuræ in ſuo toto, & eius effectus ſeu defectus in ſua cauſa libera.

Sed quia ex eodem *S. Aug. l. 1. de Moribus Eccleſiæ*, & alibi, *Nihil eſt peccato originali facilius ad prædicandum,*

Digitized by Google

candum quòd ſit ex illa participatione naturæ ab Adamo, *nihil ſecretius ad intelligendum*, an ſit ex participatione ſolius corporis ab ipſo, vel etiam animæ humanæ, non vt rationalis, ſed vt vegetatiuæ & ſenſitiuæ, vel non materialiter, ſeu diuiſibiliter, ſed ſolum exemplariter, & diſpoſitiuè; illudq; ſolum ſit fundamentum fidei Chriſtianæ, ex S. AVG. *Lib. de pecc. orig. c. 24. & L. 1. contra Iul. c. 2.* ſufficit contra hoc Figmentum Præ-Adamitarum, ex Præfatis.

Ne tamen ſine cenſura elabatur, quòd Fictor huius fabulæ *l. 4. c. 13. p. 234.* redarguat *S. Auguſtinum, & Lactantium*, quòd *hæreticos pronunciauerunt eos qui Adamo genitis oppoſuerunt Antipodes &c.* Contra ſuam, ſuorumq; nobis Namurci proteſtatam fidem, & præferentiam doctrinæ S. AVGVST. cuiuis ſuæ, ſuorumq; opinioni. Cùm enim fateatur Sanctũ AVG *L. 16. Ciu. c. 9.* ſolùm negaſſe Antipodas, vt Præ-Adamitas, contra fidem Chriſtianam: ſi experientia conuincit eſſe Antipodas, quanto magis fides, eos eſſe Adamitas. Verùm hinc patet eum cum ſuis ſolùm abuti ficta authoritate S. AVG. non autem vti ad corrigendos ſuos errores. **Vt hunc ipſum ex 16. Ciu. 8.** ***Quiſquis vſpiam naſcitur homo i. animal rationale: ex illo Protoplaſto originem ducere, nullus fidelium dubitauerit.*** **Infra.** ***Ex Adam ſunt, ſi homines ſunt.***

APOSTROPHE

AD OMNES PRÆTENSOS FIDEI REFORMATÆ.

NE videamur cum ſola vmbra ſeu phantaſmate vnius hominis luctari: Ad vos omnes, ô prætenſi fidei Catholicæ Reformatores ac Reformati! Hinc veſtra tandem tota cauſa reformata, ſeu condemnata eſt: hinc tota veſtra ſtructura ſuper nouo veſtro fundamento arenoſo & paludoſo, imò potius abyſſo euerſa eſt. Hinc tandem eſtis veri Reformatores: non noſtræ ſolius veræ & antiquæ fidei Catholicæ, ſed veſtræ prætenſæ. Condemnando enim hæreſeos hanc nouam fabulam Præ-Adamitarũ: reprobatis duas baſes veſtræ prætenſæ Reformationis, quibus illa fundatur.

1. Eſt libertas communis lectitandi, & ſpiritu priuato diſcernendi ac interpretandi Sacram Scripturam. Ecce quo nouo fructu & præludio Atheiſmi, in viro literatiſſimo, nimio ſcrutinio Sacræ Script. & prætenſo SPIRITV AC INSTINCTV veſtræ Reform. EMOTO, ſeu à ſana mente alienato. Quanto potiùs in Idiotis & mulieribus? Quibus, ille ſerpens Euæ, ab hac ſimili arbore ſcientiæ boni & mali ſuſpenſus, ſimili etiam quæſtiuncula faciliùs illudit. Quare præcepit vobis Eccleſia, vt non comedatis de hoc fructu ſcientiæ boni & mali? Nequaquam moriemini: ſciunt enim Sacerdotes quod ex eo aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut, imò pluſquam ipſi, ſcientes bonum & malum.—

2. Eſt veſtra illa imputatio extrinſeca iuſtitiæ Dei, aut Chriſti, ſolis & omnibus prædeſtinatis, aut fidelibus: imputatio peccati, aut ſaltem mortalis, omnibus & ſolis reprobis aut infidelibus. Quaſi Deus, vt ACCEPTOR PERSONARVM, contra *Act. 10.* imputet aut non imputet, quicquid, quibus, & quantum vult, ad bonum & malum, non autem pro merito aut demerito cuiuſq;, ſicq; ſua imputatione ſit Author peccatorum. Ex quo veſtro vtroq; ouo, excluſit hic ſuos Præ-Adamitas, vt à Deo tandem Adamo ſubditos, nõ autem ab eo genitos: applicando eis poſt ſecula, ipſum tunc nouum, nunc vetus peccatum Adæ, ſola illa veſtra imputatione, abſq; vlla ab eo origine, ſeu naturę corruptę participatione.

Cùm ergo hunc veſtrum Atheiſmi pręluſorem, eiuſq; pręludium, & Scorpionem ex illo vtroq; ouo veſtro, ſolo eius fomento, excluſum, abhorreatis: prębete aurem pręludio verę fidei & pietatis Catholicę; euomite, nec reſorbete illa oua, ex quibus pullulant tales Scorpiones; Reformate veſtram prætenſam fidem, in noſtram veram, veſtram quaſi legionem acephalam, in noſtram veram Eccleſiam, vt caſtrorum aciem ordinatã; vt tandem ſimul intendamus ſoli verę reformationi morum, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, in virum perfectum, *Eph. 4.* & exhibeat ſibi Deus Eccleſiam glorioſam, non habentem maculam aut rugam, *Eph. 5.* AMEN.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google